

Comentator exponendo diffinitionem anime non excipit animam intellectiuam imo includit eam. et in tertio de anima capitulo. decimo octavo. dicit de predictis duobus intellectibus quod sunt tanquam virtutes forme nostre quia nichil agit nisi per suam formam. Nos autem intelligimus quando volumus. Item secundum Comentatorem. Omnis substantia est materia vel forma vel totum compositum sed anima non est totum compositum nec materia ergo secundum eum est forma.

Decimo imponitur Comentatori aliud falsum. scilicet quod fantasia causat speciem in intellectu possibilem et quod per hoc dicimur intelligere quod causare spiritum in alio est magis intelligi. Item falsum imponit libi. i. parte. q. 76. ar. 1. dicendo quod eadem species intelligibilis numero informat intellectum possibilem et fantasiam humanam. Et propter hoc dicimur intelligentes. Contra dicit auerroista. Comentator bene sciuit quod una et eadem forma numero non representat vniuersaliter et individualiter. Species autem que est in intellectu representat vniuersaliter quia est abstracta. Fantasia autem individualiter. Item eadem forma numero non est in corpore et sine corpore. modo omnis forma perficiens fantasiam est in corpore cum fantasia sit virtus organica. Et omnis forma apud intellectum est virtus sine corpore. Forte dicitur quod illa species licet sit una numero tamen est alia secundum esse quia aliud esse habet in intellectu et aliud in fantasia sed hoc implicat contradictionem quod virtus numeralis forme non stat eum diuersis esse simul conueniente ipsi forme. Et item si habet aliud esse in fantasia et in intellectu hoc ideo est quia in fantasia habet esse individuale sed ut sic non est principium intelligendi et sic homo non intelligeret per eam.

Undecimo arguitur per opinionem alexandri quod tamen fugit reputationis quod aliquando non reputatur philosophi. nisi fuisse alexandrinus et creditur fuisse unus de optimis expositonibus aristote. et sic videtur quod sit sibi credendum scilicet quod anima intellectiva sit materialis. Item tenuius et theophrastus dixerunt quod tam intellectus agens quam possibilis sunt instantie separate. Item auicenna dicit quod intellectus non est aliud quam imaginativa. Item propter humilitatem commentator videtur sibi credendum quia dicit super hoc se velle aliquid scribere quia fratres videntes scriptum eius poterunt scribere suas dubitationes et forte per illud inuenient verum si ipse non inuenit videtur autem irrationabile tantis philosopho. contradicere.

Duodecimo arguitur tunc forma hominis post mortem maneret et similiter materia et sic corruptio hominis non esset corruptio substantialis cum ibi nulla substantia corrumpatur. Item queritur in quo est figura propria hominis non in materia tamen quia illa non est substantia propria accidentis ergo est in materia et forma ergo forma hominis est partialiter figurata. Forte dicitur quod mors hominis est corruptio substantialis quod vniuerso anime ad corpus est quid substantiale. Contra illa vniuerso est relatio. Item impossibile est quod eadem forma secundum idem esse sit inherens et postea subsistens quod forma inherens habet esse a toto composito igitur

Tertio decimo si anima rationalis est forma hominis et cuiuslibet partis sequeretur quod manus hominis intelligeret quod habet in se animam intellectiuam sed hoc est falsum quod non habet fantasiam. Item licet anima rationalis non esset forma hominis adhuc per eam homo posset dici animatus et operari sicut celum est animatum per intelligentiam assistentem et ho-

mo beatus dicitur intelligere ex hoc quod essentia sua supplet vicem speciei vniuersi est principium intellectus ergo aliqua substantia separata potest esse principium intelligendi in nobis. Forte dicitur quod non oportet quod illud quod homo formaliter intelligit informet ipsum sed hoc eque bene concluderet de beato.

Quartodecimo supra dictum est quod potentia ab aristotele vocatur aliquando intellectus passiuus ergo ab anime cogitativa dicimur intelligentes et non ab anima intellectiva quod si concedas dicendo cum commentatore. substantiam intellectiuam esse separatam sequitur contra aristoteli. in primo de anima dicitur quod hec non est propria anima intelligit sed homo. Item omne intelligens vel est purus intellectus vel habet intellectum tanquam partem sui. Item homo non est purus intellectus. ergo anima intellectiva est pars eius.

Quintodecimo autem quod sit vnus intellectus in omnibus. quia deus potest ponere vnas animas in diuersis materiis sicut duas animas in vna materia. secundum partem in matris et puero qui est in vtero matris cuius corpus continuatur per umbilicum cum matre ergo in eodem corpore sunt due anime. Secundo omnino est vna materia quia materia est pura potentia sed intellectus secundum philosophum est in potentia ad omnes formas intelligibiles ergo omnino est vnus intellectus. Item sequeretur quod nunquam discipulus posset habere sciam quia scientia doctoris non est arguitur ergo non potest causare aliam scientiam in discipulo.

Sextodecimo non valet argumentum dicendo quod tunc contraria essent in eodem quia idem argumentum heret si vna anima sit in qualibet parte sortis. quia in vna potest ascendere et in alia descendere. Item si in quolibet homine esset alia anima sequeretur quod nunc essent infinite anime secundum aristotelem. supponendo quod ab eterno fuerunt homines et quod anima sit immortalis. De hoc. 3. philico. Forte dicitur secundum Comentatorem idem numero esset in diuersis locis sed contra secundum catholicos. eadem numero est in capite et in pede. Item autem quod anima continuatur corpori secundum modum comentatoris quia non potest sibi continuari sicut due quantitates continue continuantur quia anima non habet quantitatem. Item si sortis esset homo per animam rationalem. sequeretur quod sortis secundum quod homo esset incorruptibilis.

Decimo septimo intellectus possibilis denudatur ab omni eo quod intelligitur. quia nichil est eorum quod sunt ante intelligere. ut dicitur in 3. de anima. Sed ut dicitur in eodem. ipse est intelligibilis sicut et alia ergo ipse est denudatus a seipso et ita non habet unde possit multiplicari diuersis. Item secundum philosophum hic idem est intellectus et quod intelligens sed id quod intelligitur est idem apud omnes ergo intellectus possibilis est vnus in omnibus hominibus.

Decimo octavo nichil operatur nisi ubi est sed intellectus possibilis operatur ubique intelligit enim que sunt in celo et in terra. igitur vnus est in omnibus hominibus. Item multiplicatio numeralis est per materiam. sed intellectus non habet materiam. Sed dices quod intellectus idem est anima intellectiva habet materiam in qua est. scilicet corpus humanum per quod individuatur. Contra principia individualia debent esse de essentia individuali sed corpus non est de essentia anime. Item cessante causa cessat effectus. si ergo anima intellectiva multiplicatur per corpus sequitur quod post mortem non sunt plures anime. Item esse anime non dependet a corpore nec vnitas eius.

Decimo nono. Est vna lux illuminans omnes colores. ergo vnus intellectus agens illuminans omnia fantasmatia. Item si intellectus agens est aliquid anime sequitur quod anima est simul in actu et in potentia. quia vna